



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Loca Infesta,|| Hoc est:|| De Infestis,|| Ob Molestantes||
Daemoniorvm Et Defvncto-||rvm Hominvm Spiritvs,
Locis,|| Liber Vnvs.||**

Thyraeus, Petrus

Coloniae Agrippinae, 1598

VD16 T 1247

Cap. LXXIII. An contra purgandos Spiritus ijsdem rationibus agendum sit
quibus oppugnantur Spiritus Dæmoniorum?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61332](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61332)

CAP. LXXIII.

Modos, quibus à molestia Daemonum infesta loca liberantur, non prodesse ad illas molestias tollendas, quæ à bonis hominum Spiritibus afferuntur.

Demonstratum est esse Spiritus purgandos, & posse iuari, & merito esse viventium opera iuandos. sequitur doceamus, quo modo iuuentur. Et si generatim loquamur, hic duplex esse videtur, quemadmodum duplex est, quo à pauperum & mendicorum (ad quorum conditionem hos Spiritus accedere diximus) molestia contingit liberari. Vnus durus est, & inhumanus: alter humanus, & Christiano homine dignus. Ille apud pauperes accidit, nunc simplici eleemosynæ negatione; nunc verbis asperioribus; nunc etiam inflictis & intentatis verberibus: hic eleemosynæ erogatione, aut condolentis, & iuare desiderantis animi significatione.

Vtroque horum, contra Purgandorum Spirituum molestias, agi potest: sed priori agere inhumanum; posteriori ut agatur, postulat, ut diximus, officium hominis Christiani. Quis probet, ut cum amicis agatur durius? amicis, inquam, quibus quod petitur, sine nostro detrimento, imò cum magno emolumento, præstare possumus?

Hinc est, quod *ratio*, qua nos ab horum Spirituum molestia liberamus hoc primum, à priori illa differat; quod cum his Spiritibus *amicè*; non, ut cum illis, hostiliter agendum sit.

Differt deinde, quod *quibus* præfidiis contra molestias infestantium Dæmonum agimus; illis *contra molestias*, quæ ab his Spiritibus afferuntur, depugnandum non sit. hostilia illa atque aduersaria sunt arma. contra hostes & aduersarios, illorum proprius est vsus: at hostes non sunt hi, qui apparent Spiritus, & quamuis molesti sint, non tamen molesti esse cupiunt: Molestia, quæ afferri videtur, solum subsidij est humilis postulatio.

Et quo, ex omnibus iam dictis, armorum genere cum iis agendum? Crucene; an Reliquiis? Rebus consecratis, an Exorcismis? an Oratione, quali oppugnantur, & ædibus, aliisque locis proscribuntur Demones?

6. Adhibentur contra malignos Spiritus *Cruces*, quòd illas ferre nequeant. at *Cruces* hi Spiritus non horrent. in illis gloriantur cum sanctissimo Paulo: per illas se, à peccatis, Dæmonumque potestate sciunt ereptos: per illas habere ingressum in vitam æternam.
7. Adhibentur contra illos *Reliquia*. An his terrentur purgandi Spiritus? has fugiunt? pignora sociorum? qui sub iisdem, cum ipsis, vexillis militârunt? quorum mox sperant se posse perfrui consortio?
8. Adhibentur contra eosdem *Res consecrata*. Nec has reformidant nostri Spiritus. Benedictis rebus recreantur, qui gratissimam illam aliquando vocem; *Venite benedicti Patris &c. Matth. 25.* cum summa sua audituri sunt voluptate?
9. *Exorcismos* fortè, quos ferre nequeunt Dæmones, ipsi reformidant? Non reformidant: propterea, quòd exorcismi iis rebus consent, quæ nec his Spiritibus exosæ sunt; nec Spiritus hos molestia afficere possunt.
10. *Oratio* denique, qua *Domus*; siue loca consecrantur, & qua Spiritibus accessus interdicitur, hos Spiritus non attingit. Ipsa hoc docet *Orationis* forma; vt quæ non bonorum, sed malorum Spirituum meminit. Quòd si alia aliqua ad Deum dirigitur; vel solùm malorum Spirituum petit, vel solùm petere debet exitium.
11. Quæ cum ita sint, probari non debet eorum consuetudo, qui, vbi ad Spiritibus infestas ædes liberandas vocantur, mox ad *Exorcismos* confugiunt: Spiritus adiurant; & in Christi sanctissimæque Trinitatis nomine discessum imperant. Quid si hominum purgandi sint Spiritus, qui molesti sunt? hos contra quid hæc arma, atque machinæ? Quemadmodum imprudenter agunt, qui pro quibusvis Spiritibus prationes Deo offerunt; ita, qui quosvis *Exorcismis* aggrediuntur. Cognoscendi prius spiritus antequam de modis, quibus ab ipsorum molestia liberemur, cogitemus. Verùm de hoc aliàs.
12. Quòd si quando Spiritus purgandi, post hos adhibitos infestis locis *modos*, molestare desinunt: non hoc ipsis *modis* tribuendum est, sed Spirituum voluntati: qui cum subsidium ex molestia nullum sperent, frustra molesti esse nolunt: quemadmodum nec diuitibus illis molesti sunt pauperes, à quibus stipem nullam expectant. Sed *modos*, quibus non tam profligantur, quam iunguntur, inquiramus, & discutiamus.